

33 Saepe evenire solet, ut in commissionibus nulla praescribatur forma absolutionis: Forma communis est illa in Rubrica antecedenti explicata forma vero consueta est quae modo sub explicatione cadit. Haec remittitur arbitrio, et prudentiae Confessarii, qui casuum gravitatem considerabit, nempe facti qualitatem, percutiendi modum, circumstantiam loci, et personae, Joann. XXII. apud Navar. *Man, cap. 27. n. 92.* Quae vero sit levis, mediocris, seu enormis causa, vide apud Gavant. *Man. Ep. verbo Violenta.* Sed si absoluturus esset in dubio, num gravis, vel levis fuerit res ob quam absolutioni subjacet poenitens, semper circa metas potius decernere debet, quam ultra, Gavant. *ibidem, n. 5.* et sic adhibere formam communem: *Dominus noster, etc.*

§. VIII. In foro autem interiori, Confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam communem supra praescriptam in absolutione Sacramentali.

34 Si per litteras Poenitentiae, vel aliter Confessarius habet facultatem absolvendi ab excommunicatione; formam communem adhibere debet, nempe *Misereatur, etc.* et privatim danda est absolutio sine testibus, et Cancellario.

35 Regulae tenendae in impetrandis, et adimplendis litteris summae Poenitentiarum, habentur in diversis libris; sed nuper diligenter insertae fuerunt in *Synodo Dioecessana Ferrariensi.* habita a Cl. Mem. Cardinal. de Verme, anno 1711.

Harum litterarum usus requirit Confessarium valde prudentem, et in Sacramentali Confessione magnopere versatum, expertumque, ut adamussim adimpleantur juxta praescriptionem, nec citra, nec ultra procedat ejus delegata potestas.

RITUS

ABSOLVENDI EXCOMMUNICATUM

JAM MORTUUM.

TITULUS VICESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Soli homines viventes possunt excommunicari.
- 2 Mortui excommunicari non possunt.
- 3 Mortuos absolvi posse dicitur improprie.
- 4 Mortuus absolvi potest ab eo qui poterat eum absolvere vivum.
- 5 Mortuus absolvitur ut sit capax Ecclesiasticae sepulturae.
- 6 Formula facultatis absolvendi mortuum.
- 7 Datur iste casus in eo qui priusquam moreretur, quaesivit absolvi.
- 8 Si excommunicatio occulta est, non indiget, ut absolvatur.
- 9 Si in foro externo sit excommunicatus absolvi debet.
- 10 Formula porrigenda Sanctissimo pro impetranda absolutione.
- 11 Forma absolvendi mortuum.
- 12 Absolutio mortui fieri debet publice coram testibus.
- 13 Verberatio cum virga fit supra totum corpus.
- 14 Mortuis olim ministrabatur Eucharistia, et Baptismus.
- 15 Excommunicatus denunciatus non potest sepeliri in loco Sacro.
- 16 Etiam si signa Poenitentiae dederit.
- 17 Signa valent ad impetrandam facultatem absolvendi.
- 18 Signa poenitentiae in excommunicato quatenam sint?
- 19 Cadaver excommunicati exhumari potest si commode fieri possit.
- 20 Quae impediunt ne cadaver exhumetur?
- 21 Si exhumari non potest, sufficit si verberetur locus, in quo jacet.
- 22 Quamvis privetur sepultura Ecclesiastica, non privatur suffragiis Ecclesiae.
- 23 Cadaver excommunicati sepultum inadvertenter in Ecclesia exhumari non debet.
- 24 In hoc casu verberatur tantummodo sepulchrum.
- 25 Et coram testibus, confectu publico instrumento.
- 26 Sepelientes excommunicatum in Ecclesia scienter, incurrunt in excommunicationem.
- 27 In Ecclesia in qua sepultum sit cadaver excommunicati, non potest celebrari Missa.
- 28 Neque possunt in ea sepeliri cadavera.

- 29 Preces in hoc casu adhibendae conveniunt mortuis.
- 30 Stola nigri coloris adhibenda.
- 31 *Requiem aeternam.* etc. convenit tantum mortuis.
- 32 Originem duxit ab Apostolis.

1 2 3 4 5 6 Soli homines viventes, baptizati, rationis, et doli capaces, qui in Ecclesia Superiorem aliquem habent, ab habente potestatem, possunt excommunicari: non autem mortui, quia cum isti non amplius sint sub jurisdictione Ecclesiastica, ab ea sicuti ligari, ita absolvi non possunt: nam si iis Deus indulgentiam dedit, nihil nocet nostrae severitas; et si supplicium praeparavit, nihil nostra benignitas prodest: ut respondit olim Ferrandus Carthaginensis Ecclesiae Diaconus Pelagio, et Anatolio Romanis Diaconis, cujus verba refert Pithaeus in *Codic. ad professionem Fidei Justinian. super. litt. C. p. 672. Monacell. d. p. 3. praelud. n. 53.* Quare dum dicitur posse mortuos excommunicari, et absolvi, intelligi debet hoc improprie, et indirecte, utpote quia vel Ecclesia tunc publice declarat, illos cum adhuc viverent, censuram excommunicationis incurrisse, et in illa mortuos fuisse, et prohibet in loco Sacro sepeliri, ac pro eis suffragia, et sacrificia offerri; vel si signa manifesta poenitentiae, et contritionis dederunt ante obitum, declarat, et pronunciat eos absolutos ad hoc ut admittantur ad Ecclesiasticam sepulturam, et Orationes, et suffragia, pro eis impertiri possint, prout docet Graff. *cons. 7: per tot. de sent. excom. p. 1.* Ideo mortuus absolvi potest, ad eo scilicet, a quo poterat vivus absolvi, si ante obitum signa poenitentiae dederit: non directe, quia non est amplius homo super terram, sed ad hoc ut sit capax Ecclesiasticae sepulturae, et suffragiorum Ecclesiae, juxta dispositionem *Text. in cap. a nobis, l. 2. de sent. excom.* ubi Fagnan. *n. 14.* dat formulam facultatis, quae solent expediri a S. Poenitentiaria Urbis.

§. 1. Si quis excommunicatus ex hac vita decedens dederit signum contritionis, ne ecclesiastica careat sepultura, sed Ecclesiae suffragiis, quatenus fieri potest, adjuvetur, absolvi potest hoc modo, etc.

7 8 9 Iste casus facile dari potest tunc, cum quis sciens se in excommunicationem incursum, recurrat ad Sacram Poenitentiarum Urbis, vel ad Sanctissimum immediate, vel ad aliam Congregationem dictae Urbis ad hoc, ut obtineat dispensationem, seu facultatem, ut absolvi possit, et interim oria-

tur. Si casus, seu si excommunicatio est occulta, non indiget, ut vel mortuus absolvatur: si vero sit in foro externo, et res deducta sit ad forum contentiosum, tunc absolvi debet in forma ab Ecclesia in Rituali Romano praescripta.

10 Modus tenendus in porrigenda supplicatione, vel Sanctissimo, vel Sacrae Poenitentiariae Urbis a Corrad. *dict. dispens. Apostol. l. 8. c. 10. n. 15.* describitur: ibi per extensum habetur formula pro parte alicujus consanguinei ipsius Defuncti, vel alterius cujusvis, quae formula compacta fuit a dicto Corrado ex aliquibus verbis contentis *in cap. a nobis, de sent. excommunicat.* ubi de hac materia agitur, et fuit in dataria Apostolica approbata, atque admissa. Absolutio vero sic obtenta sufficit et prodest, ut in loco Sacro cadaver sepeliatur, et specialiter pro eo habeantur Orationes, et suffragia, Sayr. *de censur. 4. c. 28. n. 17.* Forma vero praescripta, et modus tenendus, est hujusmodi.

§. II. Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur, et absolvatur, ut infra: deinde absolutum, in loco Sacro sepeliatur.

11 12 13 Idem repetit Corrad. *dict. loc.* docens modum impertiendi hujusmodi absolutionem, quae publice haberi debet, et coram testibus. Verberatio fiat solita virga, non super humerum denudatum, ut in vivis, sed supra totum corpus quomodocumque absolventi liberit.

14 Mos erat antiquitus recondendi Sacram Eucharistiam super pectus fidelium vita functorum, et cum ea ipsos sepeliendi maxime vero Episcopos, et eos qui Sacrum Viaticum ante mortem recipere non potuerant. Quam unice consuetudinem diu in Ecclesia viguisse observat Alaspina Episcopus Aurelianensis. *l. 1. observat. 9. et. et 10.* Cum eo prohibita primum reperiatur a Concil. Carthaginensi tertio, ubi sic dicitur: *Placuit, ut corporibus Defunctorum Eucharistia non detur: Dictum est enim a Domino, Accipite, et edite: Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. Cavendum est etiam, ne mortuos baptizari posse, Fratrum infirmitas credat, quibus nec Eucharistiam. dari licitum est.* Hactenus Concilium.

§. III. Si vero fuerit sepultum in loco profano, si commode fieri poterit, exhumabitur, et eodem modo verberabi-

tur: et post absolutionem, in loco Sacro sepelietur: Sed si commode exhumari non potest, locus sepulturae verberetur, postea absolvatur.

15 16 17 Regula indubitata est, quod excommunicatus denuntiatus, moriens ante obtentam absolutionem ab eo, qui eum poterat absolvere vivum, vel saltem a Sacerdote in articulo mortis (quo tempore cessat omnis reservatio ex jam dictis) etiam si signa Poenitentiae, et contritionis dederit, in loco Sacro sepeliri non possit *Text. est in c. a nobis 28. de sentent. excommunicat.* Bonacina. *de censur. disp. 2. qu. 2. punct. 3. §. 3. n. 7.* Sayr. *de censur. l. 2. c. 4. n. 13.* Passerin. *de stat. hom. c. de sepult. n. 52.* Monacell. *for. leg. part. 3. tit. 1. for. 38. n. 12.* contra opinionem illorum, qui volunt excommunicatos denuntiatos decedentes cum signis contritionis, et Poenitentiae, posse in loco Sacro sepeliri: Sed ista signa unice valent ad impetrandam facultatem absolvendi a Sacra Poenitentiaria: quam facultatem nemo impetraret sine attestazione horum signorum *c. Sacris 38. de sent. excommunicat.* Sayr. *de censur. l. 3. c. 28.*

18 Quenam sint hujusmodi signa Poenitentiae, et contritionis effert Monacell. *d. n. 14. ex Fagnan. cap. a nobis, 13. de sent. excommunicat.* et sunt: detestatio saltem verbalis delicti: elevatio manuum, et oculorum ad Coelum: interpellatio Confessarii: tussio pectoris: invocatio nominis Jesu, B. M. Virginis, et Sanctorum: osculatio rei Sacrae, et similia indicantia emendationem, Passerin. *de stat. hom. t. 2. qu. 187. art. 4. n. 113.* quae signa ad effectum obtinendae absolutionis post mortem, unico teste probari dicunt Medic. *de sepul. p. 1. quaest. 11. n. 31.* Pirhing. *in Jus Can. lib. 5. tit. 39. n. 178.* Graff. *cons. 7. n. 6. de sentent. excommunic. p. 1.*

19 20 Cadaver igitur excommunicati sepultum in loco profano exhumari debet quaecumque id commode fieri possit: Si vero quatruiduanum, si cum aliis cadaveribus commixtum, si in summa profunditate sit vel si in flumine immersum, tunc non commode id fieri potest; ideoque non exhumandum, sed si haec non habeant locum, exhumatum cadaver verberetur modo praescripto, absolvatur, atque in loco Sacro sepeliatur.

21 22 Si vero magna difficultas sit in eo exhumando, sufficit ut locus sepulchri, seu tumulus, seu terra, quae illud cooperit, eadem virga, et eodem modo verberetur, et deinde absolvatur: Privabitur utique hoc cadaver Ecclesiastica sepultura, sed erit privatio materialis, quae pluribus etiam fidelibus occurrere solet, vel in naufragio, vel in bello, alio quovis modo; sed non privabitur suffragiis Ecclesiae anima illius.

§. IV. Quod si in loco Sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum.

23 24 25 Potest evenire, ut quandoque excommunicatus sepeliatur in loco Sacro inadvertenter eo quod a sepelientibus ignoretur ista excommunicatio: et ad hunc casum respicit noster textus. Hoc dato, sepulchrum ab extra tantummodo verberari debet, et deinde fieri absolutio modo, et ritu praescripto coram testibus, et confecto super hoc publico Instrumento, ut deinceps haec absolutio appareat.

26 Quod si scienter, et malitiose sepeliatur in loco Sacro Cadaver excommunicati, ita facientes incurrunt excommunicationem, et nequeunt absolvi nisi satisfactionem, arbitrio rationabili Episcopi, exhibuerint competentem, ut habetur expresse in *Clem. 1. de sepult. ibique gloss. in vers. eis quibus*, Bonacina *de censuris, disp. 2. qu. 2. punct. 3. et §. 3. n. 8.* Barbosa *in d. cap. 1. de sepulturis*, Monacell. *d. n. 18.* Nam absolutio quae datur post mortem operatur, ut quis sepeliatur in loco Sacro, vel si jam sepultus fuerit, quod non exhumetur, Bellett. *disq. Cler. p. 1. §. 3. n. 17.* Ricciull. *de jur. person. l. 4. c. 60. n. 18. et 38. c. 65. n. 20.*

27 28 Demum notandum, quod si vel advertenter, vel inadvertenter quis excommunicatus sepeliatur in loco Sacro, interim in eo loco non possunt celebrari divina Officia, nec alia corpora sepeliri, Passerin, *de stat. hom. t. 2. q. 137. art. 4. n. 52.*

§. V. Dum autem corpus, sive sepulturam verberat, Sacerdos dicat Antiphonam: *Exultabunt Domino*, etc. *Ps. Miserere*, etc. Quo facto, absolvatur, dicendo, *Authoritate*, etc. Deinde dicatur *De profundis*: In fine, *Requiem aeternam*, etc.

29 Preces, et singulae Orationes istae cum suis Psalmis conveniunt Fideli jam mortuo; ideo defferunt a precibus, et Orationibus recitandis in absolutione excommunicati vivi.

30 31 22 Notandum ultimo, quod licet Rubrica non praescribat colores indumentorum, quibus Sacerdos absolvens excommunicatum mortuum indui debet, attamen ex Corsetto, *d. tract. 2. p. 2. c. 5. n. 34.* habetur quod Sacerdos indui debet superpelliceo, et Stola nigri coloris juxta ritum in Officio defunctorum, et in eorum absolutione praescriptum super

mortuum enim cadit ista absolutio, et ideo in utroque casu idem color adhibendus est, quod clare dignoscitur ex clausula Psalmi, quae est *Requiem aeternam, etc.* quae clausula in Agendis defunctorum tantummodo in usu est, ut habetur in Sacramentario Gregoriano, et originem ducit ab Apostolis, Gavant, t. 2. sect. 9. c. 2. num. 3. de Officio defunctorum.

DE MODO

ABSOLVENDI A SUSPENSIONE,

VEL AB INTERDICTO EXTRA, VEL INTRA SACRAMENTALEM CONFESSIONEM

TITULUS VICESIMUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

- 1 Suspendio quid sit?
- 2 Qui ligatus est hac censura, indiget ut absolvatur.
- 3 Censura temporalis cessat elapso termino.
- 4 Ille solus, qui potest excommunicare, potest suspendere.
- 5 Formula absolutionis a suspensione non est praescripta.
- 6 Sicuti diversae naturae est suspensio, ita diversi sunt qui possunt absolvere.
- 7 Delegati debent omnino implere formam delegatam.
- 8 In absolutione a suspensione, saepe exigitur mandatum de stando, etc.
- 9 Interdictum quid sit?
- 10 Qui ligatus est, indiget ut absolvatur.
- 11 Nulla adest forma absolvendi ab interdicto,
- 12 *Confiteor* est prolatio Confessionis.
- 13 Irregularitas propriae non est censura Ecclesiastica.
- 14 Saepe derivat ex violatione censurarum.
- 15 Irregularitas quid sit?
- 16 Irregularitas non absolvitur, sed dispensatur.
- 17 Quae provenit ex delicto, sine dispensatione non tollitur.
- 18 Forma tollendi irregularitatem.
- 19 Irregularitas est impedimentum suscipiendi Ordines.
- 20 Irregularitas privat Beneficiis.
- 21 Habita dispensatione, redeunt primaeva jura.
- 22 Facultates supremi Tribunalis adamussim et absque interpretatione adimplendae.

1 Alibi diximus, Suspensionem esse Censuram, per quam Persona Ecclesiastica privatur usu, seu exercitio Ordinis, Officii, aut Beneficii Ecclesiastici, quod illi competit ratione alicujus potestatis spiritualis, in totum, vel in partem, ad tempus,
Com.—P. 30.

vel in perpetuum, ob suam culpam, Monacell. *dict. part. 3. praehud.* §. 7. n. 89.

2 3 4 Indiget igitur, ut absolvatur qui ligatus est hac censura, nisi sit temporalis, quia haec cessat elapso termino, nec indiget absolute, Monacell. *d. n. 93. 107.* ubi late enumerat suspensiones provenientes tam a jure, quam ab homine, pro quarum absolute sciendum est, illum solum, qui potest excommunicare, posse etiam suspendere.

§. I. Si Sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem a suspensione, vel Interdicto, quamvis nulla verba sint praecipue determinata, uti poterit hac formula. Poenitens dicat, *Confiteor Deo etc.*

5 Nulla reperitur forma praescripta pro Absolute ab hac censura, sed auferri, et tolli potest quibuslibet verbis id significantibus, imo solo verbo, v. gr. *removeo*, vel *revoco suspensionem*, ut notat Monacell. *dict. n. 106.* qui desumit formulam ex Rituali, de qua modo tractamus.

6 7 Quinam sint qui possint absolvere, seu concedere facultatem absolvendi a suspensione, fusius videbis in Monacell. *num. 108. 109.* Sicuti diversa est natura suspensionum, ita diversi sunt qui possunt ab ea absolvere. Papa, Episcopus, Vicarius, et alii jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, sunt qui facultatem hanc habent. Isti posunt alios delegare, et delegati implere debent omnino formam delegationis.

8 In Absolute suspensionis saepe exigitur juramentum de stando mandatis Ecclesiae, ut habetur *in cap. super eo 2. et c. venerabili, de sent. excommunic.* Haec mandata possunt esse ejusdem naturae ac illa, quae imponuntur in absolute ab excommunicatione: sed cum de iis alibi dixerimus, non refert, ut hic ea repetamus.

9 Interdictum est censura, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, omnium Divinorum Officiorum, et Ecclesiasticae sepulturae, ut colligitur *ex cap. non est vobis 11. de sponsal. et Matrim. et cap. quod in te 11. de Poenit. et remiss.* et dividitur in locale, et personale.

10 11 Qui ligatus est, indiget quoque ut absolvatur, Monacell. *dict. num. 111. ad 115.* et licet nulla tradita sit specialis forma absolute ab Interdicto, nihilominus eam Monacell. *dict. loc. n. 136.* affert, quia oportet aliqua forma verbali uti (quoties Interdictum a Jure, vel ab homine latum simpliciter, et non ad tempus, removendum sit) verbi grat. *Absolvo te a vinculo Interdicti, quod incurristi ob talem causam.*

12 *Confiteor* est semper prolusio Confessionis, ideoque semper debet praemitti, ut diximus *in Tit. XVIII.* §. 9,

§. II. Si vero Confessario, sive in foro conscientiae, sive extra, data est potestas dispensandi super irregularitate, tunc postquam absolverit a peccatis, addat consequenter: *Et eadem auctoritate dispenso tecum, etc.*

13 14 15 16 17 Irregularitas proprie non est censura Ecclesiastica, attamen ex violatione censurarum saepe derivat. Definitur inhabilitas, sive impedimentum canonicum suscipiendi Ordines, vel susceptos administrandi, et ea Beneficia obtinendi, quae propter officium conceduntur, Monacell. *d. §. 15. num. 155.* Haec irregularitas, seu hoc impedimentum non absolvitur, sed dispensatur ab habente facultatem *d. num. 181.* et illa specificè, quae provenit ex delicto, sine dispensatione non tollitur, Bonacina *de Irregul. disp. 7. 9. 5. punct. 2. n. 8.* Sayr. *c. 13. n. 2. 3.*

18 Rituale Romanum praescribit formam verborum, sub qua Irregularitas tolli debet, et parum differt ab ea, quam assignat Monacell. *d. n. 182.* ex Sayro, et ex Guazzin. *jun. ad. defens. anim. l. 2. defen. 6, cap. 45. n. 110.* Si autem dubium sit, an quis irregularitatem incurrerit, tunc sub conditione dicendum erit: *Dispenso tecum in Irregularitate si forte incurristi ob hanc, vel illam causam, etc.* Leo *Thes. for. Eccl. part. 3. cap. 4. num. 48.* et haec dispensatio, ut plurimum sit occasione Sacramentalis Confessionis post absoluta peccata.

§. III. Si nullum habet Ordinem, dicatur. *Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos.*

19 Quia, ut supra diximus, Irregularitas est impedimentum suscipiendi Ordines, et Beneficia, etc.

§. IV. Quod si necesse sit titulum Beneficii restituere, et fructus male perceptos condonare, subjungat: *Et restituo tibi, etc.*

20 21 Item cum Irregularitas privet licita retentione Beneficii, quod exigit usum Ordinis personalem, sublata hac, redeunt primaeva jura omnino; Suar. *disp.* 40. *sect.* 2. *num.* 19

§. V. Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in iis facultatis suae terminos excedat.

22 Facultates, et commissiones provenientes a supremo Tribunali adamussim adimplendae sunt, nec interpretandae, nec ampliandae, neque restringendae, sed exequendae sub poenis gravissimis, ut diximus *Tit.* 18. §. 7. loquendo de hoc eodem Sacramento.

DE SANCTISSIMO EUCARISTIAE SACRAMENTO.

TITULUS VICESIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

- 1 Eucharistiae est Sacramentum vivorum, imo ipsa Vita.
- 2 Eucharistiae definitio.
- 3 Eucharistia cum eadem reverentia, qua Christus, tractari debet.
- 4 Fideles antiquitus suscipiebant Eucharistiam erecti.
- 5 Eucharistiae sumptio fiebat antiquitus magno cum gaudio.
- 6 Festivi dies distinguebantur sumptione Eucharistiae.
- 7 Dies Eucharistiae variis nominibus nuncupati.
- 8 Administratio Eucharistiae, competit Sacerdoti.
- 9 Potestas vel ordinaria, vel delegata requiritur ad ministrandum.
- 10 Pastoris munus est ministrare Sacram Eucharistiam.
- 11 Ministrare Eucharistiam sine facultate est peccatum.
- 12 Parocho proprie convenit ministratio Eucharistiae.
- 13 Privilegia pro Regularibus multa.
- 14 In Missa quilibet Sacerdos potest communicare alios.
- 15 Parocho quando tenetur ministrare Eucharistiam.
- 16 Reverentia, et cultus qualis debeatur Eucharistiae?
- 17 Custodia qualis debeatur Eucharistiae?
- 18 Rubricas legere pro optima administratione optimum.
- 19 Parocho curare debet ut debitus honor praebeatur Eucharistiae.
- 20 Populus Parocho commissus qualis sit?
- 21 Parocho tenetur credere dicenti se habere licentiam.
- 22 Intellegitur hoc de Communionem Paschali.
- 23 Hodie licet accedere ad quamcumque Ecclesiam pro Eucharistia.
- 24 Frequentia suscipiendi Eucharistiam qualis esse possit?
- 25 Judicium Confessarii requirendum est pro Communionem quotidiana.
- 26 Qui sumeret ob vanam gloriam, peccaret.
- 27 An Religiosi teneantur saepe communicare?
- 28 Quotidie antiquitus fideles communicabant.
- 29 Solemnitates majores coli debent majori religione.
- 30 Praeparatio interna, et externa pro Sacramento.
- 31 Externa erat ut manus lavarent.
- 32 Interna erat humilis Confessio.
- 33 Corporis habitus debet esse compositus.
- 34 Mos Foeminarum in Lusitania dum communicant.
- 35 Foeminae accedere debent valatae ad Eucharistiam.
- 36 Viri cum comis fictis, et pulverulentis abdicandi sunt.